



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 204. Quæ sint causæ precarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

concessam. Idem videtur esse de detentatione, dum precarium concessum circa possessionem; secus tamen est, ubi concessio facta pro Titio & heredibus ejus.

Quaest. 204. Quenam sint cause precarii?

R Esp. primò: quod spectat causam efficientem, ejus causa remota est partim jus gentium, ex quo descendit seu originatur. *l. 1. §. 7. b. r. Muller. l. c. Lauterb. §. 6.* Partim jus civile pratorium, ratione scilicet approbationis & modi habendi, exequendive precarium, ut iidem. Causa efficiens proxima est ipse concedens (quales esse possunt omnes, qui commodatum concedere possunt; cum qui usum rei ad tempus certum & modum concedere possunt, multo magis usum indeterminatum permittere valent; adeoque non solum domini, sed etiam, qui rem possident, aliudve jus in re habent. *l. 8. ff. b. r. Lauterbach. §. 8.*) ejusque voluntas seu consensus, etiam per alium ejus nomine. V. g. per procuratorem praestitus, etiam rathabitione, ut Lauterb. *§. 6. cit. l. 8. §. 2. ff. b. r.* non solum verbis & scripto, sed & aliis signis ad hoc idoneis expressus ad preces alterius. *l. 13. §. 1. ff. b. r.* Licet autem difficulter intelligi possit, qualiter ab initio precarium efficiatur seu constituitur. Tacite, postquam tamen semel concessum expressè, potest dein consensu tacito, qui ex concedentis patientia seu non revocatione, & continuato ab accipiente usu praesumitur prolongari & revocari, quae prolongatio magis & prorogatio, quam novi precarii constitutio. *l. 4. §. fin. ff. b. r. junctâ l. 5. eod. Lauterbach. cit. §. 6.* qui tamen id ipsum sic limitat: modò prorogans sit in eo statu, ut consentire vel pro libitu revocare possit. In quali statu, quia non est, qui post concessionem incidit in furorem, non secus ac mortuus, non poterit precarium prorogare; cum per patientiam tacite consentire non possit, nisi qui expressè consentire potest. Ad causam quoque efficientem precarii spectat consensus recipientis, ex quibus duobus consensibus efficitur usus rei licitus, & constituitur in ratione beneficii, quod in non consentientem non cadit.

2. Resp. secundò: ad causam precarii materialem seu potius objectum spectant res omnes, de quibus *quaest. 1. b. r.* Pro causa formali seu forma substantiali esse dici potest, quòd concedatur gratuitò ad preces indeterminatè & revocabiliter. Causa finalis seu finis principalis precarii est usus rei licitus.

Quaest. 205. Quisnam sit effectus precarii?

R Esp. Effectus respectu concedentis precarium unà cum possessione naturali est ejusdem possessionis amissio, sive quòd concedens desinat possidere rem corporaliter, tam per se, quam per eum, cui res precario concessa, & pergat eam solummodo possidere civiliter juxta *quaest. ante hanc*

3. Respectu recipientis effectus alius est lucrativus consistens in potestate re utendi eique insistenti, et si concessa quoque possessio illius, in ipsa vera hac possessione, ratione ejus competunt ei remedia possessoria. Alius est effectus onerosus consistens in obligatione, quà recipiens astringitur, non quidem civiliter, sed naturaliter, ex naturali nimirum.

R. P. Laur. Jur. Can. Lib. III.

rum aequitate & jure gentium, ad precarium restituendum concedenti pro ejusdem libitu.

Quaest. 206. An haec obligatio pariat interdictum Pratorium de precario, aut etiam actionem?

R Esp. primò. Cum jure civili haec obligatio nullam pareret actionem, quà concedens ageret contra accipientem tergiversantem rem precario concessam restituere ad sui revocationem, jure Pratorio introductum est, seu Prator, partim ex necessitate, dum nulla ante illud ex precario competebat actio, partim ex aequitate, quà aequum erat precario concedentem ex sua liberalitate non pati damnum; adeoque recipientem rem precario obtentam ad repetitionem concedentis restituere, juxta quòd dicitur *l. 2. §. 2. b. r. natura aequum est, tamdiu de liberalitate mea uti, quamdiu ego velim, & ut possim revocare, cum mutavero voluntatem:* concessit interdictum, quòd sicut aliae actiones nomen à contractu, ex quo oriuntur, sortiuntur, ut actio commodati, locati &c. Ita à precario dictum interdictum precarii, vel etiam restitutorium, utpote quò Prator rem precario concessam, sed revocantem, restitui jubet. Competit hoc interdictum illi, qui usum rei purum sine possessione (in quo casu est interdictum retinendae possessionis. Muller. ad Struv. *b. r. lit. 6.*) vel unà cum possessione concessit, sed revocavit. Et sic in specie competit venditori, qui rem venditam emptori concessit precario, donec pretium solutum, si per nunc stetit, quòd solutio facta non sit. *l. 20. ff. h. r. Muller. l. c. lit. v.* item creditori qui rem oppignoratam concessit debitori. *l. 22. ff. b. r. Muller. l. c.* & si servus concessit, dandum domino. *l. 19. ff. eod. Muller. l. c. lit. v.* Et quia persecutionem rei continet competit quoque successorì concedentis tam universalì quam singulari (ita ut v. g. emptor rem precario à venditore concessam revocare statim possit ab eo, cui concessa, eique ad restituendum moroso intentare hoc interdictum Muller. *loc. cit.* & ita quidem, ut hic habeat hoc interdictum non ex precario concessio ab authore seu antecessore suo, sed ex propria persona, dum eo ipso, quòd patitur possessorem seu precariam ulterius re uti, prorogando precarium, quasi novum constituere videatur juxta *l. 8. ff. b. r. Lauterbach. b. r. §. 16.*) contra possessorem rei precario concessae, licet is precario possideat rem propriam, nempe datam in pignus creditori. *l. 6. §. ult. b. r. Muller. b. r. tit. 159. lit. 2.* Item etiam si possessor non rogaverit illud, modò tamen is sciat suo nomine rogatum, haberitque id ratum. Muller. *l. c. l. 4. §. 2. ff. b. r.* vel contra eum, qui dolo habere desit. *cit. l. 8. §. 3.* Pupillum etiam, qui sine auctoritate tutoris rogavit, si is possideat. *L. fin. §. 1. ff. b. r. Duaren. in ff. b. r. c. 4. Muller. l. c.* Item contra heredem (qui tamen restituere non tenetur ex persona propria, sed ex persona defuncti, cum is in precario, utpote ejus possessio non concessa heredi recipientis, & quòd morte concedentis extinguitur, non succedat defuncto) si haeres rem precariam habet *l. 2. C. b. r.* vel dolo fecerit, quò minus rem precariam haberet; in quo casu haeres tenentur in solidum, dum aliàs, si ex dolo defuncti factum detur contra illos tantum in id, quòd ad eos pervenit. Muller. *l. c. lit. 3.* Lauterb. *l. c. citatâ leg. 8. §. 7.* & ibi Brunnem. *num. 7.* Objectum hujus interdicti est res precaria restituenda & omne damnum resarciendum. Ita

P

tamen